De cancro, quem aquaticum vocant

adnexa hujus morbi historia.

Commentatio

inauguralis medico-chirurgica,

quam

amplissimi et gratiosissimi Medicorum ordinis Marburgensis

auctoritate et consensu

pro

gradu Doctoris summisque in Medicina, Chirurgia et arte obstetricia

honoribus, juribus ac privilegiis

die XIX. mensis Maji MDCCCXXVII.

rite solenniterque obtinendis

publice offert

Valentinus Ignatius Wiegand,

Fuldensis.

Marburgi.

Typis Kriegerianis.

Professoribus

experientissimis, illustrissimis, praestantissimis humanissimisque

Medicorum ordinis Marburgensis,

neque minus

viris experientissimis, spectatissimis et amplissimis

Vincentio Adelmann,

Med. et Chir. Dr., Sereniss. Principi nostro a consiliis in rebus medicis, nosocomii Wilhelmini Fuldensis medico, professori, xenodochii obstetricii directori, nonnullarumque societatum sodali rel.

Josepho Schneider,

Philos. Med. et Chir. Dr., Potentissimo Electori a consiliis in rebus medicis, urbis et agri Fuldensis physico, multarumque societatum sodali rel.

Damiano Zwenger,

Med. et Chir. Dr., Augustissimo Cattorum Principi in rebus medicis a consiliis, primo nosocomii Wilhelmini Fuldensis medico, societatum quarundam sodali rel

praeceptoribus fautoribusque

eximie de me meritis et summa pietate ad cineres usque colendis

hasce studiorum suorum primitias

in qualemcunque summae venerationis et amoris tesseram devotissima, pia grataque mente

d. d. d.

tantorum virorum cultor obsequiosissimus

V. I. W.

Praefatio.

Etsi vereor, lector benevole, ut dissertatiuncula nostra perfecta sit omnibus, quae numeris absoluta, etsi operis ingeniique mei imbecillitatem bene sentio intelligoque, etsi levia mea verba ne minimum quidem postulationibns inclyti medicorum ordinis satis factura certum exploratumque habeo; tamen ut almae nostrae leges, quibus, ut quisque altiorem doctoris gradum ambiturus specimen inaugurale exhibeat, sancitum est, ne improbe violarem, consuetudinemque ut servarem a majoribus receptam, meam quoque commentationem publico judicio offerre et subjicere non sine magno temeritatis juvenilis metu ausus sum.

Nome est, ut jam frons libelli refert, de qua nostris agitur in plagellis, materia ad dicendum ornatissima, ad agendum amplissima, sed impedimentis quoque referta ac spinis, ut neminem latet, satis adhuc circumsepta. Alie-

nus itaque essem ab omni modestia atque verecundia, si ego in limite literarum adhuc versatus tiro inani gloria caecatus temere pravaque mente, meliora et accuratiora in lucem proferre instituissem, quam viri celeberrimi e tenebris eruerunt crassis.

Qua de causa morbum quam maxime horrendum describere atque casum non uno genere gravem attentioneque dignum, quem in clinico nostro Marburgensi chirurgico duce dilectissimo, experientissimo meritissimoque Ullmanno observare et tractare mihi licuit, referre, quodque cadaveris sectio obtulit, narrare, sufficiet.

Utinam temporis angustiae, literarum imperitia, experientiae inopia subsidiorumque defectus, quaecunque hisce in plagellis corrigenda sunt, excusent.

Dabam Marburgi decimo sexto Calendas
Junii MDCCCXXVII.

De

cancro, quem aquaticum vocant.

§. 1.

Cancer aquaticus (*noma, nomas, nome, ulcus noma, noma oris, cancer oris, erosio gangraenosa oris, cheilocace, necrosis infantilis, stomacace, waterkanker, ulcère malin de la bouche, gangrene des gencives, gangrene scorbutique des gencives, gangrenous erosion of the cheeks, Wasserkrebs, Mundkrebs, scorbutischer Brand, Lippenbrand, unächter Mundkrebs, bösartiger Salzfluss, bösartiges Lippengeschwür, Mundfäule*) labiorum aut partium hisce vicinarum ulcus vocatur illud, quod ortu celerrimo, forma peculiari, decursu horrendum in modum acuto atque rapaci, nec non phagadaenica sua ingenti et subita erosione sub copiosissimo salivae saniosae adfluxu omnia similia superat. *)

§. 2.

Dirum hocce et formidandum malum aut prodromis praeditum est, aut caret. Ad eos praecipue a scriptoribus lassitudo, somnolentia, sitis, dysorexia, alvi evacuatio turbata plerumque in diarrhoeam abiens cum aliis haud raro juncta symptomatibus gastricis, moestus ae-

*) G. van Swieten (commentar. in Boerhaave aphorismos I. pag. 749.) dicit: „Nostrates malum hoc cancrum aquaticum (Waterkanker) solent vocare, quia cancri instar exedit omnia et jugis talis salivae fluor adest.“

grotantium sensus, clamores, fletus, gemitus, quin causa adsit aperta, nec non interdum corpus obducens, moxque evanescens oedema, referuntur.

Verum enim vero ut plurimum sine ullo prodromorum vestigio depascens hicce observatur morbus, allataque symptomata generaliora sunt, quam qnae in infantilis tenerique corporis constitutione (quibus maxima inest nomae dispositio) nostro morbo praecurrere censeantur.

§. 3.

Prodromis hisce praegressis, aut si deficiant ab initio morbi, obtinent symptomata localia haecce: Os anterius, sive sint gingivae, seu genae, sive labia ipsa calere, rubescere, prurire aut magis minusve dolere incipiunt; consequitur mox tumor, aut partium induratio cum foetore turpissimo et sapore cupreo, quibus symptomatibus trahentes interdum colli nuchaeque dolores, glandularumque lymphaticarum adjacentium accedit dolens tumor et interdum fieri posse, ut manducationis deglutitionisque functiones turbatum eant, quis est, quem fugiat?

Tali igitur rerum statu in oris cavitate anteriori-, nunc in altero labiorum angulo, nunc vel in partium gingivas cingentium, vel adeo gingivarum interna aut externa superficie, nunc in tonsillis, nunc in lingua, macula vel pustula, sive una, seu plures parvae, sensu carentes, rutilae (Bernstein), aut albae (van Swieten); suppurationis punctulo in abscessu haud dissimiles, vel lividae, fuscae aut jam ab initio nigrescentem referentes colorem formantur. Pustula sic orta, ut plurimum vesiculosam induit formam ac nonnunquam fluidum tenue, putridum, sanguinolentumque continet. Interdum tu-

mida gingiva omnino nigrescit partesque ei adjacentes colore genuino destitutae tumidaeve, si tangas, (ut in scorbuto fieri solet) fluidum mittunt tenue atque sanguineum (van Lil) . . .

§. 4.

Auctis doloribus, pro tanto morbo mitioribus, vesicula ista (aut macula) gangraenosa fit, nigrescit, magis minusve rubrum, inflammatorium contrahit limbum, maculae aut vesiculae areolam circumdantem earumque aequantem extendendi celeritatem. Quo facto et carnes circumjacentes gangraenose afficiuntur et depascendi progressus nunc ab interiori parte extrorsum, nunc potius ad interiora proserpens omnia organa delet et destruit. Vesicula illa, si adest, sub horrenda hacce erosione rumpitur, rimosam scissuram efficit venenatumque suum ichorem fundens mox in colliquativum ulcus mutat affectas partes. Sub copiosissimo saniei foetidissimae salivaeque tenuis ac depravatae huic admixtae adfluxu, sub cadaveroso spiritus ducti odore subque ingenti interdum partium adjacentium tumore quovis momento, vel vero tardius, ulcus limites transilit suos; putridae partes crebro jam post horam XXIVtam decidunt, aut si tali modo substantiae non deponuntur, sanie particulatim resolvuntur ejusdemque qualitatem venenatam adjuvant augentque.

Usu quondam venit, ut una cum hisce symptomatibus in gilvis genis caerulei nigrescentes formentur papulae, aciculae globulum magnitudine aequantes, mox incrementum capientes inque processum gangraenosum ac suppuratorium transeuntes; et hisce cadaverosus est

odor. Paulo post genas perforant atque delentem adjuvant nomae progressum.

Omnes partes molles horrendae subjiciuntur ulceris propagationi, labia, gingivae, lingua, tonsillae, genae, nasus, frons, oculi rel. crebro jam paucis diebus funditus delentur. Morbi rabies imo ne ossibus quidem parcit; dentes vacillantes aut carie corrupti ex organico eradicantur nexu, ossaque vicina a tegente periostio reliquaque carne denudata nigrescens nunc obducit ac sordida crusta et mollium partium instar quoque natura semet ipsa delente pessum dantur.

§. 5.

Priusquam vero ad reliquum morbi decursum transeamus, de processu quodam peculiari, attentione quam maxime digno ad nostrum usque tempus, (nisi opinio me fallit) cel. Klaatschii si excipias observationes,*) fere plane neglecto, disserere liceat. Organicae enim substantiae propria est metamorphosis, indurationis inter et ulceris sphaeram locum obtinens inque inflammatorium denique illum limbum abiens. Heterogenas animalis substantiae partes constituentes in homogenam convertit massam, gelatinam omnino aequantem, in qua non amplius membranae, musculi aliaeque partes molles discrimine sunt separatae.

Haecce gelatinosa substantiarum solutio in putredinem abiens praecipue postremo morbi tempore permagna est et tunc inflammatorius limbus magis magisque evanescens tandem desideratur, quo velox a vivis ad mortua transitus.

*) Vid. Hufelands Journal der prakt. Arzneikunde etc. Bd. LVI, Heft 2. pag. 48 f.

§. 6.

Universalis affectionis topicae sese associantia symptomata nunc nomam antecedunt, nunc sequuntur et vel maxime dispar est eorum gradus; nam localis multum universalem superat morbum, qui saepissime solus ex eo consequitur, quin interdum tam parvi apparet momenti, ut vix universali cura opus sit, uti Siebert duo refert exempla. *) Plerumque haecce observantur: Pallor faciei, totiusque corporis, pulsus frequentissimi, debilissimi, vacui filiformes, febris aut putrida, aut magis nervosa cum symptomatibus suis rel.; accedunt virium exhaustio, colliquativae evacuationes, praesertim alvi fluxus, nec non haemorrhagiae vitam extinguentes. Appetitus et somnus raro turbati inveniuntur et progresso demum morbo ciborum adsumtio saepe penitus est sublata. — Urina ac faeces, depravatae mixtionis et quantitatis non raro orificia, per quae fluunt, vicinasque partes excoriant; contingunt quoque oedema corporis, aut sopor, convulsiones aliaque symptomata mortis instantis nuntia. Ex deglutita saniosa saliva mala varii generis oriri possunt et citiori morbi propagationi causa datur.

§. 7.

Cancri aquatici quod attinet ad exitum, plerumque aut in morte, aut in horrenda consistit partium devastatione. Caeterum monendum, pro vehementia morbi varios esse gradus, nam praeter descriptam saeviorem, lenior forma morbi restat, fere in adultis observata. Saepenumero benignior est noma, nec ita late serpit, quia remediis congruis jam ab initio frangitur. Tunc odor

*) Hufelands Journal Bd. XXXIII. Heft XII. pag. 77 et 78.

cadaverosus avolat, inflammatorius ille limbus magis ad limites gangraenosam massam inter et incorruptam concentratur, sulcusque formari incipit, quo eschera erosi ulceris a vivis solvitur atque separatur. Quo facto organicae massae, ipsorum ossium regeneratio ea celeritate fit, qua deleta est et brevissimum post tempus (8—14 dies) vix horrendi animadvertenda sunt mali vestigia. *) Critica molimina plane desunt. — Saepius autem melior ulceris status, aegrum sanatum iri confidentem fallit et plura interdum recidiva cernuntur, plerumque infaustum exitum significantia.

In pejori morbi specie nullum paene remedium velocem sistit mali progressum, aut fallaces modo sunt pharmacorum effectus. In dies crescit malum et omnes faciei, oris cavitatis, nec non colli partes arripiuntur et delentur; putridus advenit status cum colliquativis evacuationibus, facies hippocratica permagnae praebet virium exhaustionis signum et miserrimo huic vitae statui tandem mors, interdum ex ingenti fame consecuta finem imponit. Quamvis mortis terminus sit ambiguus, tamen plerumque paucis post diebus morbus vitam intercipit, interdum vero ad vigesimum octavum usque diem, et quod excurrit, perdurat.

§. 8.

Diagnosis. Cheilocaces natura hodieque magnis tenebris est circumfusa, nec modo mali raritas, sed et morborum quorumdam, quamvis maxime inter se dis-

*) cf. Siebert Hufelands Journal XXXIII. 12. 75. Klaatsch ibidem LVI. 1. 111. Stellwagen in der Sammlung auserlesener Abhandlungen f. p. A. IX. 3. 412. v. Lill ib. II. 1. 121. Capdevill eod. loc. II. 4. 100.

crepantium neglecta distinctio diversissimas de horrenda hacce affectione virorum doctorum genuerunt opiniones; quare nobis haud abs re visum est, quae diversa eruditi senserunt, enarrare atque characteristica illa morbum nostrum affinium agmine dignoscentia, in medium proferre.

§. 9.

G. van Swieten *), quem ob primam morbi adumbrationem justissimis laudibus tollimus, nomam scorbutum gangraenosum declarat:

> „Nullibi tamen, inquit, citius scorbuti praesentis indicia observantur, nullibi celerius corrumpit partes, quas occupat, quam circa gingivas etc. **)

Dr. Meza ***) jamjam stomacaces nomen improbat, pro morbo infantili sui generis, nomam habet, eamque a scorbuto et stomacace accuratius separat, dicens:

> „Man nennt, wie es mir scheint, diese Krankheit unrichtig Stomacace, indem man unter dieser Benennung eigentlich ein Symptom versteht, welches nur Erwachsene beim Scorbute erleiden und mit einer solchen Verderbnifs des Zahnfleisches verbunden ist, das solches bei starkem Berühren blutet und einen üblen Geruch mit sich führt. Allein in dieser Krankheit der Kinder sind überdiefs die Lippen und Wangen mit häfslich eiternden kleinen Beulen besetzt, welche die Knochen der obern Kinnlade und Nase anfressen und wo-

*) Comment. in Boerhaav. Aphor. T. I. 749 u. 766. Tom. IV. 746.

**) l. c. I. 749.

***) Sammlung auserles. Abhdlg. z. G. f. p. A. XIV. 519.

bei eine häufige Menge Speichel aus dem Munde fliefst u. s. w.“

G. A. Richter *) quoque delens hocce malum cum scorbuto confundit, memorans:

„Der Wasserkrebs braucht nicht als eigenthümliche Krankheitsform, sondern nur als eine eigene Form, unter der sich zuweilen der Scorbut zeigt, betrachtet zu werden.“

Dr. Neuhof cancrum aquaticum peculiarem autumat stomacaces speciem, uti in stomacaces sua descriptione accuratius exponit. **)

Schmalz nomas oris ad stomacacen refert, eamque stomacacen gangraenosam appellat. ***)

Sam. Cooper †) nomine „cancrum oris“ usurpato morbum nostrum pro profundo, putrido, irregulari, graviter spirante, marginibus retortis gaudente inque interiori labiorum genarumque superficie apparente tumore, quem copiosus salivae acris adfluxus comitatur, habet. *Siebert* et *Klaatsch* (l. c.) in primis diagnostica nomae et similium morborum in clariore luce posuerunt, cum *Chelius* ††) cancrum aquaticum peculiarem modo esse scorbuti formam moneat.

§. 10.

Variis hisce opinionibus prolatis nunc ad morbum nostrum a similibus dignoscentia transeamus.

*) Specielle Therapie, herausgeg. von Georg Aug. Richter, 3te Aufl. Berlin 1822. IV. 820 f.

**) Hufelands Journal XXXI. XI. p. 85—103.

***) Diagnostik 4te Aufl. p. 85. No. bb. 762.

†) Handbuch der Chirurgie nach der 3ten engl. Original-Ausgabe übersetzt u. mit einer Vorrede von Froriep. Weimar 1819. I. 364.

††) Handbuch der Chirurgie. 1ste Aufl. II. p. 1324.

a) *Scorbutus* plerumque cum cachexia sui generis junctus sine febre et ptyalismo apparet, decursum chronicum tenet atque nunquam infantes invadit. *Ulcus scorbuticum* molle, spongiosum, putridum, immundum, praecipue inferiores occupans extremitates, saepe quoque in reliquo corpore apparens et potius superficiale, tenuem secernit et sanguinolentam saniem, superficiem crusta obducentem, sub qua substantia valde putrida, mollis et spongiosa latet. Nulla carnis adjacentis apparet gelatinosa mutatio, margines sunt quasi clavis in vicinitate fixi, lividi aut caerulei, in quibus non secus atque in superficie ulcerata ad pseudoorganisationes generandas quam maxima proclivitas est, quae productiones, colore et consistentia jecur bovinum coctum aequantes, jamjam lenissimo sub motu, sanguinem fundunt atrum et incoagulabilem, et velociter remotionem, aut resectionem sequuntur. Rarissime ulcus hoc ossa invadit, quamvis in malignis febrilibusque scorbuticis formis, sub atrocissimis doloribus exostasis aut caries oriantur; nec omittam osteomalaciam et ossium fragilitatem, interdum ex scorbuto originem ducentes. Huic ulceri postremo peculiaris est organa reproduceudi ratio, nam a centro peripheriam versus regeneratio fit. — Noma e contrario talibus proprietatibus caret, et ipsis in vehementissimis scorbuti gradibus, ubi scorbuticum ulcus naturam induit gangraenosam atque nomae instar omnes exedit carnes, constitutionalis cachexia cum symptomatibus suis clara stabilit nomam inter et scorbutum discrimina.

Et ille aegrotantium status, qui *stomacace scorbutica* s. *angina scorbutica* audit, a noma valde differt, nam et haec affectio adultis ferme est propria, chronico et apyretico gaudet decursu, aphthae sic dictae scorbuticae

in hoc morbo, si tandem gangraenosus fit, occurrentes in noma desiderantur, ossaque rarissime et tunc modo lentissime afficiuntur.

Denegari quidem nequit, cancro aquatico aeque ac scorbuto aërem impurum, humidum, aliasque telluricas potentes vires quam maxime favere, utrumque morbum gignere, genitumque adjuvare, uti Siebert l. c. perbene monet; verum enim vero, cum a Klaatsehio aliisque noma in maxime siccis quoque regionibus et sub coelo saluberrimo observata sit, cumque exempla haud desint, ubi et certe nullus antecesserit telluricus influxus, argumenta, quibus utrumque morbum eundem esse efficitur, inde deprompta, inepta sunt.

Postremo, si morbi identitate gaudeant, qui fit, ut ne unum quidem scorbuti in cancrum aquaticum transeuntis exstet exemplum, cum praesertim ex gravibus scorbuticis morbis gravissimae immanesque satis notae jamjam apparuerint strages?

Quicunque igitur statuerunt, morbum utrumque eundem esse, aut aquaticum cancrum ulcus scorbuticum altioris gradus, a vero aberrasse censendi sunt.

b) *Stomacace* et ipsa ab aquatico cancro longe est aliena. Adultum, ut lactantem, marem ut foeminam invadit, sed teste Neuhof (l. c.) in infantibus lenioris est gradus ejusque dolorum non tanta est vehementia, quanta in adultis. Trahentes in collo, nec non parotide glandula praecedunt dolores atque sapor cupreus; hic fere nunquam deest. Morbi hujus sedes praecipua interna oris cavitatis superficies est, partiumque ibi sitarum tumor, rubor, calor nec non dolor accedunt, glandulae salivales tument dolentve, et sub ptyalismo ingentique foetore, experte illo specifici nomae ad topicam

hancce affectionem pyreticus accedit status aliaque symptomata. In partibus correptis ulcera apparent spongiosa aut sordida lardacea, exigui ambitus, magis superficialia, sub tactu acerbissima, magna cum velocitate orta, quae marginibus mollibus, inflammatis, inaequalibus, paululumque modo elevatis circumdantur. Spongiosae nonnunquam oboriuntur pseudoproductiones atque gingivae, ulcerum instar, tenuem fundentes atque solutum sanguinem haud raro ad ingentem intumescunt molem. Epidemice quoque accidit stomacaces morbus atque crisibus determinatur *).

c) *Cancer labialis* cum aquatico vix et ne vix quidem est confundendus, nam diversa morborum natura, peculiaris cancrosi ulceris e scirrho evolutio, aperti decursus et forma, variaeque remediorum, quibus ad curam utimur virtutes, vix ullo in dubio diagnosin relinquunt.

d) *Ulcus syphiliticum labiorum* ortu, peculiari forma, decursu, sequenteque universali infectione a noma discernitur et nonnisi perraro ista confusio locum habet.

e) *In herpete labiali*, interdum ex psoriasi labiali originem ducente, labium et ipsum rubet, indurescit, tumet, dolet, vehementerque ardet, quo facto vesiculae fluidum (initio pellucidum, tandem in puriforme transiens) continentes formantur, quae rumpuntur subque tumoris remissione crustas non decidentes formant. Non raro contingit, ut herpes labialis vicinam invadat carnem, introrsum penetret, labiaqne, nasum vel. erodat; attamen chronicus plerumque hujus morbi

*) Hufelands Journal XXVIII, 1, 107; XXIX, 10, 24; XXXI, 11, 85.

decursus, nec non cachecticus status, quocum herpes conjungitnr, peculiarisque forma herpetem labialem luculenter a cancro distinguunt aquoso.

f) *Cancer aquaticus labiorum Lentini* *) a nostro morbo plane abhorret estque scrofulosae indolis. Labium praecipue superius albidum contrahit tumorem, indurescit ipsiusque margo ruber alteri prominet. Fissurae deinde nasum inter et dentes incisivos nunquam vero oris in angulis formatae sub risu fletuque producuntur, sanguinemque fundunt. Mucus induratus praecipue matutino tempore labium obducit, nasus saucius utroque attritus intumescit, in ipso copiosior secernitur mucus et quandoque malum ad palpebras tendit cursumque repetit. Extractum cicutae, nec non ammoniacalia Lentino teste mox malum tollunt. — Pernimium itaque esse inter hunc et nomae morbum discrimen, quis est, quem lateat?

g) *Gangraena ipsa* ab erosione hacce oris est diversa, ut celeberr. Klaatsch dilucide exposuit **); nam in gangraena gelatinosa ea substantiae desideratur solutio et chemica potius locum habet materiae organicae analysis, in noma vero animalia solvuntur in partes propiores elementa, quae tunc a delente depascuntur processu.

§. 11.

Morbi nostri natura nondum explorata est et virorum experientissimorum incuria hujus materiae valde reprehendenda. Klaatschius, unus omnium analogiae

*) Lentin's Beiträge zur ausübenden Arzneiwissensehaft 2te Ausg. I, 303.

**) Hufelands Journal LVI, 2. 48.

ope nostri morbi naturam enucleare studuit *). Disquisitionis ipsius argumentum est fere hocce: *Putrescentia uteri* atque *gastromalacia* (maladie gastro-intestinale des enfans avec désorganisation gélatiniforme) morbo nostro sunt similes. In tribus hisce casibus organica adest analysis, solutio in propiores partes constituentes, non unum organon, sed cuncta invadens; in illis tantummodo organis locum habent tres hi morbi, formatione sui similes, quibus fibrae sunt musculares in vicinas partes quasi transeuntes atque gelatinae materiaeque fibrinae propiores, quam aliarum partium musculi; porro modo orificiis vicini apparent isti morbi atque in unum locum sunt quasi coacti, quem semper sibi deligunt, delectum tenent; eorum vis in vitam loco differt, causalia momenta sunt ignota, inque, ut videtur, vitalibus viribus recondita et fieri potest, ut eodem pharmaco tres sanentur morbi.

Memoratis morbis: uteri putrescentiae, gastromalaciae et cancro aquatico forsan alius quoque adnumerandus morbus *Aedocoitidem* dico *vulvae ulcerosam*, quae infantum majorum labiorum internum latus invadens gangraenosum efficit processum suppurationi haud dissimilem atque omnino in modum cancri aquatici sese habere dicitur.

§. 12.

At alia restat, priusquam ad aetiologiam transeamus, expositio: utrum morbus noster sit contagiosus, nec ne?

Et de hac nomae qualitate, omnino in incerto sita, dissentiunt inter se viri docti. *Siebert* l. c. narrat, se

*) Ibid. LVI, 2. 49.

morbum eodem tempore in pluribus observasse domesticis, quin affectio definita adfuerit, ipse quoque est, qui morbum habet contagiosum, quamvis argumenta ejus, quibus hoc declaret, valde arida sint. *Klaatsch* l. c. laudatae opinioni refragatur; quia ut plurimum morbus sporadice occurrit et multis comprobatur exemplis, infantem cancro laborasse aquatico, quin in alios deferretur foetori perpetuo expositos. *Cooper* in ambiguo rem reliquit, cum *Schmalz* praepropere morbi contagium negat.

Tironis non est, de re tam ardua tamque dubia judicare, sed forsan spem concipere licet, fore, ut in futurum lux adfundatur rei difficillimae.

§. 13.

Aetiologiam cancri aquatici, si animo lustramus, hanc quoque magnis adhuc circumfusam esse tenebris, mox inveniemus. Dispositionem hujus morbi in teneris infantibus, flave comatis, debilibus, magno sensibilitatis acumine praeditis, et praecipue in junioribus, statuendam esse, probabile est et Klaatschii experientia dicti affirmat veritatem, quamvis interdum adultos quoque invadat, eosque saepe ingentem in modum depascat. Ceterum climaticarum, telluricarum, aliarumque virium nocentium, quae quam maxime favent nostro morbo, praecipuae sunt: atmosphaera humida, nebulosa, impura, regiones frigido humidae, fluviis saepius ripas egredientibus vicinae, nec non paludosae, uti Siebert jam per 6 casus argumentavit. Etiam alimentorum, quae vel in putredinem abierunt, vel corrupta sunt adsumtione aut istorum penuria nec non immunditia dispositio facile incrementa capit et idcirco maxime in pauperibus obser-

vatur. Dyscrasiae, cachexiae et forsan in primis scorbutica diathesis (?) quoque quam maxime favent cancro aquatico, imo dispositionem gignunt, genitamque alunt. Richter diathesin scorbuticam in adultis ut plurimum morbi causam esse affirmat; Bernstein (in compend. chir. pract. s. v. Noma) praecipue humores depravatos et inprimis scorbuticos accusat. Ceterum morbus ex dentibus quoque putridis aut variolis malignis originem ducit et Saviard post delactationem infantis ortum animadvertit. Richter nomam in sene ad erysypelas pustulosum disposito, qui paulo ante zona laboraverat et veri similiter herpetica quadam acrimonia praedito, observavit; eodem teste interdum et primarum viarum sordes in causa sunt cheilocaces, quae sub coelo humido-frigido epidemico quodam charactere aliquando insignis est et secundario loco malignas sequitur scarlatinae species.

Cum autem saepissime paene omnia allata adsint causalia momenta, quin noster oriatur morbus, cum fere nunquam in his laxis organis praesens ulcus mutatur in cancrum aquaticum, summo jure Siebert credit, ad producendum nostrum rarum morbum peculiari quodam alio, nos adhuc latente semper opus esse momento.

§. 13.

Prognosis cheilocaces, ut ex dictis jam apparet, semper pro pessima est habenda; ceterum in adultis melior est, quam in infantibus et in his eo pejor cernitur, quo minus adultus infans, aut quo tenerioris constitutionis, ita quidem, ut plerumque malo jam propagato ossaque aggresso lethalem observemus exitum et quamvis Saviard animadvertat, se non ante septimum

annum sanationem vidisse, tamen et hic nonnunquam mirum in modum sanatio fit *).

Sed qui fit, ut in tenera aetate pessima hujus morbi indoles sit? quare plerumque hic omne a morbo rejicitur pharmacon, cum in adultis tamen haud difficulter compescatur malum? — Alii infantum calidam et humidam constitutionem in genere, eamque oris in specie accusant, uti *Fabr. v. Hilden* *): „Summa igitur, inquit, adhibenda est diligentia in hujusmodi morbis oris, praesertim in junioribus, qui putredini obnoxii sunt, tum, quia pars oris calida est et humida, tum etiam, quod constitutio puerorum talis sit.“ — Alii teneram et debilem constitutionem, partium laxitatem, mollitiem et flexibilitatem neque minus energiam ipsarum minorem laudant, cum *Berthe* multis argumentis demonstrare conatus sit, solum venenatae saniei deglutitionem, imo frustularum erosarum putridarumque decorationem ac pharmacorum applicationem iisdem ex causis gravissimam pessimi hujus exitus esse causam. Tali modo, pergit auctor, primarum viarum fit infectio, humores depravantur, corporis actiones turbantur et grex malorum admittitur, quem frustra sanare studeas, cum stirpem ac semen omnium horum malorum extinguere et delere nequeas, ad quae incommoda perpetua accedit aëris corrupti inspiratio ***).

*) vid. Sammlung auserlesener Abhandl. z. G. p. A. IX, 412 et ibidem II, 4, 400.

**) v. Hilder Oper. Obs. XXX. Cent. I, p. 29.

***) cf. Berthe Mémoir. de l'acad. roy. de Chir. T. XIV, p. 193. Paris 1774. 8. et in Samml. auserl. Abhandl. II, 4, 82; videatur et Poupart mém. sur les étranges effets du Scorbut in Histoir. de l'acad. des sciences An 1699. Richter l. c. p. 824.

§. 14.

Statutis morbi diagnosi atque prognosi, medelam subitam modo et efficacissimam morbum nostrum limitare facile est ad intelligendum, quandoquidem ex dictis curae difficultas satis elucet.

Prae omnibus itaque medici est, causas agentes cito tuteque amovere aut ipsorum effectus nocivos moderari, quare aër depravatus, humidoque frigidus est expurgandus et exsiccandus, alimentorum penuria tollenda atque corruptis apta sunt substituenda; locus, quo aeger degit, sit saluber et siccus ac corporis munditiei semper ratio habeatur. Si primarum viarum sordes morbo sunt nuptae, emeticum est porrigendum, quod et deglutitam salivam cum sanie amovet; clysmate alvus obstipata est tollenda et lenia ipsa purgantia cum fructu sunt adhibenda (Richter). Dentes cariosi, si in causa sunt, amoveantur atque variolarum malignarum, si adest effectus nocivus, temperetur et tollatur.

§. 15.

Ceterum morbi respiciendi sunt gradus iisque consideratis remedia tum topica (et haec maximi sunt momenti), tum generaliora sunt deligenda inque auxilium vocanda. Restat, ut animadvertam, ab antiscorbuticis sic dictis remediis e. g. spir. cochlear., theriac. etc. nil fractus sperandum esse, sed potius haec nocere, ut jam v. Swieten monet.

Lenius si adest malum aut incipiens tantum, et nondum specifica illa locum habet putredo, v. Swieten teste et ammonium, mur. dep. aut nitrum multa copia aquae dilutum cum paululo aceti vel succi citri optimi sunt effectus, quam mixtionem aut lintea hisce tincta affecto

imponimus loco, aut gargarismate utimur. Remediorum penicilli ope applicationem valde vituperat v. Swieten, quia et dolor tali rudi methodo augeatur et tenerae partes destruantur.

Bernstein l. c. decoctum multi hordei cum calami aromatici radice laudat, in quibus nitrum solvit acetumque vini admiscet aut electuarium ex melle, radice calam. cum parva acidi sulphurici quantitate in usum vocat; interne antiscorbutica laudasse, vituperandus est. In tali mitiori morbi gradu aut intercipiente prospere alumen adhibuit Hufeland.

Internis remediis, Siebert monente, interdum haud opus est, sin indicantur, talia sunt eligenda pharmaca, quae viribus succurrant, atque locale malum antisepticis virtutibus amovere studeant: china *), cort. querc., sarsaparil., cort. almi, rad. imperatoriae etc., cum acidis mineralibus dilutis reliq. — Diaeta vegetabilis et potus aciduli sunto.

§. 16.

Proserpente malo et putrescente carne vicina non sufficit cura descripta. Antisepticis tunc potissimum utimur, quorum secundum v. Swieten acidum muriaticum est praecipuum dicentem, se semper pulcherrimo cum effectu id adhibuisse, neque illud unquam se huic auxilio unice confidentem fefellisse. Hoc auctore uncia dimidia mellis rosarum cum viginti guttulis acidi muriatici adhibenda est et subinde affecta pars penicillo, huic remodio intincto oblinienda. Quo major adest pu-

*) Opinioni v. Lilii chinae virtutes antisepticas in cancro aquatico negantis (Sammlung a. Abhandl. II, 1, 121 et 131, maxime inimicus est Vogt, (Pharmacodynamik I, §. 1161).

tredo, eo magis auxit acidi dosin, imo in pessimis casibus ipsum acidum mur. nullis aliis admixtis applicuit. Capdeville, Meza, Siebert et Cooper easdem approbarunt acidi hujus virtutes.

Verum enim vero, et acidum muriaticum confidentes fallit, non semper sistit malum, et haud raro absoluta illa desideratur sanatio. Klaatsch pluries sine effectu remedium hocce applicari vidit et in casu, nondum valde progresso, virtutibus suis destitutum observavit. Acidum fuit pyro-ligneum haud dilutum, nec depuratum, quod Klaatsch et hic optimo cum effectu adhibuit, quoque denis sexagemis affectam illiniit partem.

Praeter haec remedia alia laudantur antiseptica, e. g. acid. sulphuric., acid. phosphoric. et acid. nitricum, nec non china ejusque praeparata. Laudantur etiam externe decoct. chin. c. zinco sulphuric., nec non tinct. myrrh., Aq. calc. c. spirit. vin., imo cupri praeparata *).

Capdeville (l. c.), cauterium in casu, quo ab acidi mur. effectu nil sperandum sit, optimum praebere remedium, credit.

Saviard **) censet, ut medicus aut ipse aeger gingivas omnino ad osseam premat maxillam, sic omnem evacuet sanguinem atque tali ratione efficacior perficiatur pharmacorum effectus et credit, hoc remedio (attouchement vocato) mali prohibere propagationem, et saepius primam hujus methodi applicationem commodiorem valetudinem secutam esse, affirmat; adjungit, tam diu hancce pressionem reiterandam esse, donec non amplius gingivarum animadvertatur tumor.

Interne quoque in hoc statu antiseptica cum robu-

*) Pearson's principles of Surgery. Edit. 2. p. 267.
**) Observ. p. 363.

rantibus sunt porrigenda, complicationibus suo modo est succurrendum atque generaliori valetudinis statui respondentia sunt adhibenda remedia.

§. 17.

Sin ulcus depascens limitatur, sulcus ille salutaris formatur, et gangraenosae partes a vivis separantur, processum hunc benignum adjuvamus et non modo putridas removemus partes, sed et inflammationem aptis remediis gignimus, genitamque augemus. Uberrima granulatio, mirum in modum progrediens suo modo est adjuvanda et Klaatsch optimo cum effectu granulationi solutionem lapid. infernal. in infuso flor. Chamomillae imposuit.

Morbi historia
in clinico chirurgico sub auspiciis experientiss. et celeberr. Ullmann
florente a me observati.

Maria Heck, $4\frac{3}{4}$ annorum, in oppidulo vicino Gemünden (loco valde humido, paludoso, nebuloso) nata, parentum omnibus egentium rebus, vilique et humida casa utentium filia flave comata, habitus tenerrimi, debilissimi, cachecti cum sensibilitate valde evoluta a prima pueritia nunquam firma gavisa est valetudine. Hieme anni MDCCCXXVI capitis linea post 3 hebdomades sua sponte dilapsa nostram confecit, quo facto gravissima sorte concussam perque vernum atque aestivum tempus tenue corpus trahentem aegram brevi tempore abhinc febrilis invasit morbus, cui, ut mater retulit, pectoris affectio valde urgens, tussicula laboriosa, diarrhoea, animus relaxatus, nec non deliria blanda sese associarunt. Remedia adhibita morbum fustulere quidem, sed virium exhaustio, loco motionisque facultas desiderata adhuc perdurarunt, periculaque, extremitates inferiores movendi faciens parvula, lapsa profluxit atque leviter in maxillae inferioris latere dextro vulnerata est, quem ictum paulo post spontanea secuta est dentis incisivi solutio.

Die XI Septembr. MDCCCXXVI hora pomeridiana undecima de dolore in gena atque in labio inferiori sinistrae faciei sensim crescente questa est puella et jam hora a meridie prima pustulam invenit mater circa qua-

drantem pollicis infra sinistrum oris angulum, haud magnam, albido-nigrescentem, fluidoque repletam. Areola rosea fuit haec pustula circumdata, quae eadem ratione, qua pustula, peripherice sese extendit. Pustula vero, postquam die amplificata erat atque vesiculae retulerat formam vespere VIIma hora, cum alimenta ori inducta maxillae inferioris motu cominuere vellet, rupta est fluidumque nigrescens et sanguinolentum vicinas inundavit partes. Rimosae scissurae instrumentorum laedentium non dissimili, ansam praebuit rupta vesicula, cumque quovis temporis puncto haec affectio ambitu aucta est, roseo margine limitata. Vix nona audita erat hora, cum lingua partes corruptas leni motu ex organico separavit nexu, quo facto ulcus grossi duplicem retulit magnitudinem. Accuratiorem depascentis erosionis descriptionem indagare haud licuit. Noctu nec somnum capiebat et quietis impatiens erat infans ob aestum nimium valde bibosa. Primo mane ulcus illud praecipue mentum versus valde prolatum, carnem circumstantem partim putrefactum, partim tumescentem laeteque rubrum invenit mater; labra sinistrorsum valde distorta fuere et sinistra junctura labiorum soluta est visa. Febrilis aestus adhuc perduravit; comedendi desiderium haud fuit turbatum et de paucis solummodo, ingens si consideras malum, aegrotans questa est. — Depascens ulcus proserpendo in horas faciei partes erodens copiosus humorum accursus comitatus est.

Sub dira tali rerum sorte die XIII. Sept. MDCCCXXVI clinici instituti auxilium rogans infelix recepta chirurgicorumque aegrotorum numero adscripta est.

Accurata ulceris inspectione diligenteque valetudinis exploratione sequentia sunt animadversa: Sinistram oris

partem praesertim angulum hic situm colliquativum tenuit ulcus in diametro $1\frac{3}{4}$ pollic. continens. Carnes vicinae, quam maxime putrefactae, nigrescentis coloris omni destituta fuere vitalitate, magna ipsarum pars haud amplius adjacentibus juncta fuit et quaedam jam cadiva desiderata sunt. Maxilla inferior in media sinistrae alae parte horrendo processu tegentibus organis mutilata adhuc periostio gavisa est vitiosoque nigrescente et copiosissima sanies, quam maxime foetida ulcus irrigavit. Secretionis munus suppressum visum et vitiosus latex potius pro solutis antea organicis particulis cum saliva qualitate sua mutata habitus est. Omni organico facultate partes fuere spoliatae atque vera et substantiarum solidarum ct fluidorum in illis stagnantium putredo non fuit negligenda. Mortificatum hunc locum limbus circumdedit squalido-albidus homogenae massae, quam gelatina refert, haud dissimilis, linearum quarundam latitudinem tenens et peripherico margine leviter inflammato limitatus. Inflammationis rubor paulatim in facie circumjacente pallida gilvaque extinctus est indurationem nec non tumorem prae se ferente. Genarum labiorumque interna superficies albo-squalide colorata fuit nec defuerunt hujus partes in homogenam pultem mutatae dissolutaeque.

Quae ad reliquam corporis magis spectant valetudinem praeter tenerrimum cachecticum habitum observare licuit debilitatem maximam et ingentem exhaustionem jam primo obtutu, quibus febrilis status associatus erat. Pulsus parvi fuere debilissimi, frequentissimi, intermittentes, inaequales, ciborum appetentia ac somnus vix mutata inventa sunt et aegra magis de paene insatiabili questa est siti, quam de doloribus. Ceterum facies gilvi

fuit et pallidi coloris cum oculorum concavitate nasoque acuminato, animus vero valde fuit contractus relaxatusque. Praeterea dextra maxillae inferioris ala levem ostendit maculam ex lapsu memorato.

Ex narratis ulcus hocce aquaticum cancrum et prognostica inde sumta profecto valde infausta fuisse clare patet.

Ad therapeutica si convertimur, ut indicationibus ex conditione miserrima petitis satisfieret, omni bihorio ulcus cum acido muriatico, aqua paululum diluta peniculi ope illivimus, quo facto putrefactas carnes linteo carpto fluido isto imbuto teximus. Interne ad colligendas vires adhibebatur:

Rec. Cort. Chin. fusc. Drch. jj coq. c. V^ae^ comm. Unc. vj ad remanent. Unc. jv Colat. ref. adde Acid. muriat. depurat. Gr. vj, Syrup. cort. Aurant. Unc. β. M. Dt. Singulis horis cochlear sumendum. Diaeta fuit vegetabilis nutriens. Primo illitu facto atroces orti sunt in ulcere dolores, verum paulisper tantum durarunt et cruciatus secundam quoque remediorum sequentes non ita multo post evanuerunt. Pulsus parvi fuere frequentes, sitis ingens, appetitus vix turbatus, somnus quietus, sed sine levamine et copiosissima sanies phagadaenica erosit partes.

D. XIV Sept. Partium ulceris margines inter et inflammatorium limbum sitarum, lenissimus peniculi motus amortua secumduxit frustula, diversae magnitudinis et formae. At enim vero noma nondum pharmacis applicatis fuit limitatum, nam a dextrae genae inferiori parte ad mentum perpendiculariter proserpsit ulcus, totam carnem depascens. Circumjacentes partes tumescentes valde induratae fuere. Aegra per inquieta

dolores conquesta est vehementissimos. Curandi methodus hesterna continuata acidique applicatio omni hora facta est.

D. XV Sept. Aegrotae status tristissimus fuit, etenim non modo gena dextra et mentum ad foramen mentale dextrum usque vix plane fuere erosa, sed gingivae quoque in maxillae utriusque sinistro latere gangraenosae factae leviter remotae sunt et dentium vacillantium multaque illuvie terrestribusque massis obductorum plures ultro e maxilla ejecti. Inflammatorius limbus amplificatus fuit et eum inter atque gangraenosas partes gelatinosa illa inventa est organorum metamorphosis. Foetor specificus ingens fuit et saniei gangraenosae fluxus cum saliva depravata copiosissimus. — Reliqua quoque valetudo in deterius est mutata, febriles motus auctos observavi, pulsusque debilissimos, frequentissimosque inveni; cibi cum appetitu sumebantur et sitis paululum minuta erat.

Quum res ita se haberet acidum muriaticum concentratum diluti loco adhibitum est, quo facto vehementius quidem ulcus doluit, sed tamen haud impeditum est, quo minus latius propagaretur, et quamvis remediorum applicatio omni $\frac{3}{4}$ hora fieret, tamen negativi tantum aparuere hujus acidi effectus. Quovis momento gangraenosae partes ab maxillari osse solutae sunt, quae cum ulcus valde inquinarent remediorumque applicationi impedimento essent, et peniculo et forficula, quin ulla sanguinis gutta manaret, exemta sunt.

Vespere cum acidum nondum salubres prodidisset virtutes aquam oxymuriaticam eodem modo illivimus, sed et hujus pharmaci vis exspectantes fefellit dolentique ulceri nullos imposuit terminos. Remedia interna non

mutata sunt et horrendo illi foetori subvenit acidum muriaticum oxygenatum.

D. XVI Sept. Haud parvam noctis partem cum magno animi motu et vigiliis transegit parvula. Pro dolor! hodie quoque latius disseminatum est malum, nec modo carnes in maxillae inferioris corpore sitae, sed etiam magna genae sinistrae pars fuere deletae. Gelatinosa illa transmutatio hodie clarior apparuit, quam unquam, inflammatorius vero malum limitans circulus paene omnino oculis sese subduxit. Et hodie partium dissolutarum copia forficula remota est et adeo hoc dum gerebatur, sanguinis vestigium haud observatum est. Gangraenosa sanies circumstantem carnem veneno tinguere perrexit et ulcus gangraenosum sese spongiosum paululum exhibuit. Ossis maxillaris inferioris ala sinistra a mento ad processum suum ascendentem usque omnibus partibus mollibus caruit, ipsius color nigrescens fuit vasaque nec non nervi hic in partibus collocata plane putredine fuere corrupta. Tumor faciei minutus fuit et interna oris cavitatis partes albidae visae sunt et harum quoque textura et structura mutata. — Ceterum et hodie febrem auctam viriumque exhaustionem maximam observavimus. Saepius pultiformes depositae sunt alvi exonerationes atque quovis momento miserrimus parvulae status incrementum cepit.

Cum organa manducationi et deglutioni inservientia in sinistro latere fere omnino deleta, in opposito vero tumore et induratione commutata essent, summo cum labore paululum tantum lactis aut juris ex carne parati alacrem famis sitisque sensum exemit.

Aqua oxymuriatica perfecte saturata recenterque parata externe omni $\frac{1}{2}$ hora more sueto adhibita est, in-

terno vero usui decocto Chinae d. d. 13. h. Cort. Cascarill. Drch. jβ et R. opii croc. Gr. jv. adjuncta sunt.

D. XVII. Sept. Somnus satis quietus fuit. Genae dextrae valde tumidae indurataeque juxta dextram aurem tumor glandulosus mollis ovi columbini magnitudinem referens impositus erat. Noma ambitum suum haud ampliaverat, imo in exteriore ulceris margine praecipue juxta ossis maxillaris inferioris marginem inferiorem corruptam massam a gangraenosa disjungere primaque granulationis vestigia producere videbantur. Faciei reliquae induratus tumor paululum fuit minutus, minutus saniei affluxus, gelatinosa illa substantia jamjam evanuit et inflammatorius limbus paucis diebus abhinc oculus ferme subductus iterum arcte limitavit ulceris margines. Magna erat exhaustio virium febrisque adhuc eadem, copiosiores vero alvi evacuationes retardatae fuere. Pulsus frequentissimus vix fuit tactu explorandus, sitis magna, nec non grandis famis sensus ex parte tantum exemti sunt.

Resectis ex ulcere gangraenosis convolutis sulco illa fausta praesagiente unguento ex ungt. basilic Unc. β, tinctur. myrrh. Drch. j et Gr. xv. Camphor. parato linteo carpto illito tecto in ulcere aqua muriatica est applicata, ossi contra maxillae, partibus mollibus privato aërique exposito linteum carptum acido phosphorico imbutum impositum est. Internis remediis reiteratis pro acido muriatico drachma dimidia elixirii acidi Halleri admixta est.

Vespere aegram soporosam vidi, febrisque gradum vero leniorem inveni.

D. XVIII Sept. Non valde inquietus fuerat somnus nocturnus, sed fausta illa, quae hesternus pollici-

tus erat status hodie desiderata sunt. Arctantis illius inflammetorii limbi locum in toto ulceris ambitu iterum gelatinosa tenuit organorum resolutio, indurata et tumida fuit reliqua facies tantopere, ut palpebrae haud possent aperiri. Tumor glandulosus idem adhuc apparuit, uti reliqua quoque aegrotae valetudo. Saepissime, at summa cum cautione heri ordinata pharmaca applicata sunt, sed — in cassum, nam pomeridiano tempore noma vicinis partibus interitum minans proserpsit. Miserrima hac rerum conditione perlaudati acidi pyro-lignei virtutes tentavimus, quod extemplo in toto ulcere (osse nudo et sulco illo exceptis) applicatum est. Reliqua cura et diaetetica et pharmaceutica eadem mansit.

D. XIX Sept. oedema faciei pallidae et gilvae nec non pedum observatum est; tumor glandulosus mole sua non mutatus majori sensibilitate, quam antea gavisus sub lenissimo quoque tactu valde doluit. Aegrota paululum alacrior sub quavis acidi illius applicatione redeuntes percepit dolores. Noma adhuc heri commemoratum tenuit gradum et salubris illa gangraenosae ab incorrupta massa dissolutio iterum locum habere coepit. Ceterum reliqua valetudo, curandique methodus eadem fuere.

D. XX Sept. somno non valde inquieto soluta est infans atque gangraenosa oris erosio nondum limites transiluerat suos. Inflammatorius ille circulus ad ulcus iterum magis collectus gelatinae pulpam referentem massam minuerat, mundiorque sese exhibuit ulcerosa superficies soluta illa cellulosi textus convoluta facile remota sunt et sic efficacior acidi actio confecta, tum mundioribus ulceratis partibus unguentum imponebatur d. d. 17. h. praeordinatum.

In glanduloso tumore gallinacei ovi magnitudinem referente suppurationis processus provocatus est, febri praesenti, vespertino tempore exacerbanti, suppuratorium quem vocant, characterem imprimens. Oedema idem fuit. Ciborum appetentia fuit magna, sitis ingens viresque in diem magis exhaustae sunt. Remedia reiterata sunt atque diaeta nutriens, quantum fieri potuit, continuata.

D. XXI. Sept. cheilocace nondum quidem proserpserat, sed magna iterum partium collavies sueto more remota est. Oedema ad reliquum quoque transiens corpus praecipue palpebras in molem mutavit informem easque aperiendi movendique facultas desiderata est. Induratio partium faciei et colli fuit maxima. Tumor glandulosus valde dolens ardensque supremum tenuit maturationis gradum. Ceterum aegra per morosa fuit et pyreticus status cum symptomatibus auctus et gravior. Curandi methodus et topica et universalis continuata.

D. XXII. Sept. ulcus haud mutatum inveni, sed oedema faciei auctum. Copiosum pus in tumore paratum per meatum fluxit auditorium externum et ita hujus ambitum minuit. Pultiformes illae copiosiores alvi evacuationes iterum comparuere et cum illis virium consumtio gravissima, qua ex causa chinae dosis ad Unc. β et Cascarillae Drch. jj in reiterata d. d. 16 h. mixtura aucta est.

D. XXIII Sept. Ob colliquativum alvi fluxum somno non recreata est aegra. Ex ulcerata faciei pars et ipsa in deteriorem commutata fuit statum, obscureque proserpens iterum insidias struxit organis vicinis et copiosus saniei adfluxus pernicioso opitulatus est consi-

lio. Palatum molle relaxatam exhibuit texturam pallidi coloris et praecipue in alveolari sua sinistra parte valde tumida fuit. Pus ex aure fluere cessavit et tumor, iterum mole auctus, valde fervuit. Oedema et induratio imminuta. Ceterum aegra pessime sese habuit et remedia eadem eodemmodo adhibita sunt.

D. XXIV Sept. Omnes noctis partes infelici somno fuere vacuae; diarrhoea colliquativa haud defuit, pariter ac febris; arteria frequentissima, vix tactu fuit exploranda, dysorexia locum habuit omnisque sensus deseruit aegram. Oedema immutatum, glandulosi vero tumoris per aurem evacuatio iterum restituta fuit et simul cum ea gravis ulceris extensio, quod nunc a dextro oris angulo cum erosis gingivis mentique et maxillae inferioris partibus mollibus non modo ad inferiorem usque ossis jugalis sinistri marginem patuit, sed labii quoque superioris sinistram partem alaeque nasi hujus lateris frustulum deleverat. Multae extinctae partes e sphaera remotae sunt ulcerata, quo efficaciores fierent acidi pyro-lignei virtutes. Verum enim vero, quodvis experimentum ulcus limitandi frugis expers fuit, nam

D. XXV. Sept. noma, quamvis omnis $\frac{1}{4}$ hora applicaretur remedium, fines propagaverat suas praecipue collum versus. Malum deletis plane omnibus in maxilla inferiore sitis, quin sanguinis guttula effunderetur, descendit ad colli partes, ibique carnes perforans in posteriore maxillae superficie adeo saeviit, ut mox glandulae sublinguales, submaxillaresque ejicerentur et foramen $\frac{3}{4}$ — 1 pollicem referens formaretur, in quo haud raro linguae sordidae aparuit apex. Et in sinistra gena oculum versus incrementum ceperat cheilocace, ipsiusque saniei productio, ut heri largissima fuit. Febris

eadem, sed functiones urinas mittendi alvique colliquativi fluxus arbitrio fuere subtracta. Quod ad tumorem attinet glandulosum secretum ejus quidem adhuc evacuatum est, tumor ipse vero magis post aurem concentratus. Anorexia perduravit, sitiendi antea vehementissima cupiditas fuit abolita et omnis organica recipiendi facultas extincta. Acidum pyrolygneum semper adhuc ulceri illitum est. —

Interno usui adhibebatur: Rec. rad. Calam. aromat. Drch. jj rad. imperat. Drch. jß f. infus. Unc. jv refrig. adde Liq. ammon. anisat. Rec. flor. Cass. $\bar{\bar{aa}}$ Drch. ß Elix. acid. Haller. Scr. jj. M. Dt. Alternatim cum sequenti mixtura omni hora cochlear dimidium et Rec. Cort. Chin. rubr. opt. Drch. vj infund. c. Vin rhenan. generosiss. Unc. jv stet in digest. 12 hor.

Dt. Alternatim cum priori omni hora cochlear dimidium sumendum. — Vespere praeter acidum pyrolignеum, cum nullus appareret salutaris effectus adhuc tinctura cantharid. in usum vacata est. —

D. XXVI. Sept. Ad miserrimum statum sopor accessit alvique colliquativus fluxus auctus est. Hoc quoque die ulceris limites amplificatae sunt ejusdemque sanies copiosissima foetidissimum exhalavit odorem. Remedia reiterata sunt.

D. XXVII Sept. Corporis vires plane exhaustae, dolores atrocissimi, diarrhoeaque copiosissima fuere. Leves spastici motus jam primo mane fuere observandi, qui magis magisque clariores facti sunt. Oedema corporis valde auctum invenimus et ulcus nunctantas ediderat strages, ut tota gena sinistra spatium trium linearum infra oculum si excipias, omnes maxillae inferioris carnes ad genam dextram usque nec non labium supe-

rius sinistrum ad septum narium usque fuerint deletae, quibus lacrimosis ruderibus adhuc partes submaxillares extinctae adnumerandae sunt. Foetor vix tollerandus pulsusque vacuus, filiformisque difficilem tangendi se praebuit exploratu. Curandi methodus, qualis heri, continuata est, donec XI^{ma} meridiana hora atrocissimis cruciatibus liberata vitae humanae conditionem explevit.

Quaedam
de
cadaveris sectione
VI. hora
post mortem instituta.

Externa cadaveris macie confecti obductio oedema totius corporis praecipue in facie atque extremitatibus exhibuit cum gilvo tegamentorum flaccidorum colore. Horrendum in modum ab ulcere jam descripto maxima faciei pars fuit deleta. Gelatinosae organicae substantiae indurationem inter et nomam fuit collocata, inflammatorius limbus evanuerat et tumor glandulosus permollis ovi columbarii magnitudinem retulit.

Cerebri velementa sanguine fuere impleta, et duram meningem inter et arachnoideam membranam fluidum serosum Unc. jv usque Unc. vj inventum est. Encephalon pultiformem retulit massam omnibus gyris et sulcis destitutam et corticalis substantia, infantis si respicimus aetatem, valde minuta fuit. Tricernibus sic dictis ventriculis valde extensis copia serosae exsudationis infuit et ut hi, sic quoque ventriculus tertius et quartus sese habuere. Plexus cerebri sanguinem cruore egentem atque, ut videbatur, in mixtione depravata continuere. Cerebellum non tanta fuit mollitie, quanta cerebrum et Variolanus pons. Ut cerebrum, sic medulla quoque se exhibuit oblongata.

Pulmones vacui fere sanguine inventi sunt albidique coloris, quorum parenchyma tuberculosas quasdam su-

perficiales indurationes praebuit, quarum nonnullae puriforme continebant fluidum. Cor sanguine carens cum pericardio fuit pallidum marcidumque eodemque modo sese habuit diaphragma musculus.

Abdominali in cavo praeter cohalitum cum intestinis omentum, hytatites quasdam glandulasque nonnullas induratas exhibens nil abnormale inventum est.

Casu intercedente fortuito accuratiorem ulceris pervestigationem suscipere non potuimus.

Ceterum non possum non gratias agere viro experientissimo et humanissimo Ullmann maximas, imo ingentes, quod in sanando morbo descripto eximie me adjuvit. Omnino, quotiescunque memoriam repeto illius temporis, quo attentus scholis ejus interfui discipulus mirum in modum sentio recreari oblectarique animum!
